

Nam hoc ipso, quod hæc subsint jurisdictioni illius iudicis, potest ipse citare reum ratione criminis intra suum territorium commissi in ordine ad effectum astringendi bona huiusmodi, nisi comparuerit. Quæ quidem citatio non solum potest fieri verbaliter per nuntium, vel litteras ad reum directas; sed etiam, si iste lateat, et ignoretur, ubi degat, per edictum in publico loco affixum. Reus autem citatus comparere non tenetur invitus, sed sufficit si res suas possideri patiat, arg. c. *Romana*. § *Contrahentes*. h. t. in 6, et l. *Sed et ea personæ*. § *fin. ff. de Procuratorib.* atque uberius probat Abbas in d. cap. ult. n. 6, vers. *Alii dicunt*, h. t. Ac per hoc patet ad alteram partem datæ conclusionis.

60. *Disparitas inter iudicem domicilii, et iudicem delicti, quoad potestatem citandi absentem.* — Dices. Potest iudex domicilii citare reum absentem, etiam procedendo contra ejus personam, quamvis existat extra suum territorium, ut dictum supra § *præe. n. 20.* et seqq.; ergo etiam iudex delicti. Resp. neg, consequent. et paritatem. Disparitas est: quia, ubicumque quis existat, manet subditus iudicis domicilii, hoc ipso, quod istud adhuc retineat: econtra delinquens, postquam est extra territorium, non amplius est subditus iudici delicti, nisi fuerit citatione præventus; quia solum accidentaliter ei subicitur, non naturaliter, ut fit ratione domicilii. Abbas cit. n. 6, et concordant dicenda inferius § 4. n. 402 et seqq.

61. *Reus, qui fugit, an sit remittendus ad locum delicti? Potest ejus remissio debite per litteras requiri.* — Quæritur III. Utrum reus, qui fugit, sit remittendus ad locum delicti? Resp. I. Quamvis reus tempestive aufugerit, nec fuerit citatione præventus; nihilominus iudex ille, in cujus territorio grave crimen est perpetratum, potest debite per litteras requirere iudicem illum, ubi delinquens scitur degere, ut eundem citet, seu capiat, sihique remittat. Ita communis; et patet ex Clem. *Pastoralis*. § *Nos quoque*; juncta Glossa. § *de More. de Sentent. et re judicat.*, et l. *Sicut* § *fin. ff. de Accusationib.* et l. *Solent*. ff. *de Custodia et exhibit. reor.*

62. *Ac de rigore juris fieri debet; et cur?* — Quinimo in Auth. *Ut nulli iudicem*. § *Si vero quis comprehensorum*, collat. 9. expresse jubetur, ut iudex, in cujus provincia delinquens degit, post publicas a iudice delicti susceptas litteras reum comprehendere, atque illi remittere teneatur; idque sub gravi-

bus pœnis ibidem specificatis. Siquidem istud congruit communi bono reipublicæ: tum ut ad exemplum et terrorem aliorum, delicta gravia ibi publice puniantur, ubi fuerunt perpetrata; tum ut hac ratione satisfiat illi communitati, quæ per delictum in suo territorio commissum graviter offensa, et injuriata fuit; tum tandem, quia alibi non tam facile reus convinci posset super crimine, sicque crimina sæpius remaneret impunita in grave præjudicium reipublicæ. Merito igitur iudex ille, in cujus territorio reus deliquit, potest petere ab altero iudice, ubi is degit, ejus citationem ac remissionem.

63. *Idque non solum ex urbanitate, sed etiam ex necessitate.* — Unde inferunt plerique doctores, cum imperator in d. Auth. *Ut nulli iudicem*. § *Si vero quis comprehensorum*, utatur verbo *Jubemus*, quod est necessitatis, ac præceptum importat; dictam remissionem rei delinquentis ad locum delicti, non tantum ex urbanitate, vel ex voluntate (uti quidam voluerunt), sed etiam ex necessitate, saltem spectato jure communi, ac seclusa speciali consuetudine locorum, faciendam esse. Quid si igitur iudex ille, ubi delinquens degit, nolit reum remittere, non solum male aget non satisfaciendo necessitati juris, qua tenetur remittere: sed etiam ab altero iudice, remissionem rei urgente, poterit contra ipsum agi apud superiorem ejus; quamvis ipsemet non possit illum cogere ad remittendum, neque ob repulsam punire (cum par in parem non habeat imperium), nisi forsitan aliunde foret ejus superior. Ita Glossa in cit. Clem. *Pastoralis*. § *De more. de Sentent.*, et *re judicat.* Abbas in cap. ult. n. 16. h. t. Felinus c. *Licet ratione delicti*. n. 40. eod., et communior aliorum.

64. *Requiruntur tamen ad hoc plures conditiones.* — Resp. II. Nihilominus, ut iudex ille, in cujus territorio delinquens degit, aut captus est, teneatur hunc remittere iudici delicti, plures requiruntur conditiones. Ita Covarruvias *Pratic. quæst.* cap. xi, n. 5 et seqq.; Felinus loc. cit. n. 7 et seqq.; Farinacius lib. I. *Praxis criminalis*, tit. I, cap. vii. n. 27 et seqq.; Engel h. t. n. 23; Aloys. Riccius in *Praxis rerum ecclesiast.* tom. I. part. II. resol. 72, et tom. II, part. IV. in fin. seu *Praxi remissionis delinquentium*, quæst. 3, ubi novemdecim talia requisita enumerat. Cæteris tamen dimissis probatur conclusio inductione, declarando quinque præcipuas conditiones ad remissionem de-

linquentium necessario faciendam requisitas.

65. *I. Ut petatur per publicas litteras requisitorias.* — I. Condicio ad remissionem rei de necessitate faciendam requisita, est: ut remissio delinquentis a iudice loci delicti petatur per publicas litteras, quas appellant *requisitorias*. Patet hæc conditio ex cit. Auth. *Ut nulli iudicem*. § *Si vero quis comprehensorum*: ibi enim imperator pro facienda remissione delinquentium expresse jubet, « *Provinciae illius iudicem, in qua peccari contigerit, epistola publica uti ad provinciam illius iudicem, in qua delinquens persona degit.* » Igitur seclusis hisce litteris requisitoriis, nullo jure compellitur iudex reum detinens facere remissionem delinquentis, licet nihilominus ex quadam urbanitate possit eum remittere ad iudicem delicti (accedente tamen huius voluntate), licet non petatur; eo quod congruentius exerceatur justitia in loco delicti ad terrorem aliorum, et tollendum ibidem scandalum. Abbas consil. 25, n. 2, l. I. Riccius cit. part. II. resol. 72. n. 1, et alii.

66. *II. Ut delictum sit grave, et commissum in territorio iudicis petentis remissionem.* — II. Ut delictum sit grave, et commissum in territorio iudicis petentis remissionem, simulque de eo agatur criminaliter. Nam doctores communiter tenent, quod in levioribus delictis non fiat remissio, sicut nec in gravibus, quando vel non sunt commissa in territorio iudicis remissionem petentis, vel de ipsis solummodo agitur civiliter. Ratio est, quia huiusmodi remissio reorum ad locum delicti, fit principaliter ex eo, ut delinquentes ibidem ad terrorem aliorum, tollendumque publicum scandalum, suppliciis legitimis subjiciantur, cit. § *Si vero quis comprehensorum*. Atqui hæc ratio cessat in criminibus, quæ non sunt commissa in territorio iudicis petentis remissionem; sicut et ipsa cessat in delictis levioribus, aut de quibus civiliter solum agitur. Abbas in cit. cap. ult. n. 15, h. t.; Aloys. Riccius cit. resol. 72, n. 2, et resol. 74, n. 2; Julius Clarus, lib. V, *Criminalium*. § *fin. quæst.* 37, n. 23 et 24; Covarruvias, ubi supra n. 7, § *Octavo*, citans alios, et communem.

67. *III. Ut res adhuc sit integra, nec ab altero iudice tractari cepta.* — III. Ut res adhuc sit integra nec a iudice, in cujus territorio delinquens degit, tractari cepta. Alioquin enim, si iudex originis, aut domicilii (utpote qui potest procedere contra reum etiam alibi delinquentem) non requisitus prævenit in

captura, sicque res amplius non sit integra: ratione præventionis non potest impediri a iudice delicti, quin causam cognoscat, eamque legitimis suppliciis reum afficiendo finiat. Abbas d. cap. ult. n. 16, h. t. asserens, in tali casu ex sola urbanitate procedere remissionem. Aloys. Riccius cit. part. II, resol. 80, n. 2, et part. IV, in *Praxi remission. delinquent.* quæst. 13, n. 3; Farinacius d. quæst. 7, n. 28, citans plures alios.

68. *IV. Ut litteris requisitoriis inseratur summaria criminis cognitio.* — IV. Ut iudex delicti litteris requisitoriis inferat quamdam summariam criminis cognitionem ac probationem: ne alioquin, si quis statim ligatus remitteretur, quandoque contingeret quempiam sine causa, et innocentem, infamiam notari. Glossa in Clem. *Pastoralis*, § *De more. circa fin. de Sentent. et re judicat.* refutans quorundam aliorum opinionem; Oldradus consil. 124, § *Secundo*, istud ulterius probans ex l. *Interdum*. ff. *Idem autem. ff. de Publican. et vectigalib.*; Covarruvias, ubi supra, n. 8; Riccius cit. resol. 72, n. 2, cum aliis requirens ad remissionem delinquentis faciendam, ut constet, fuisse commissum delictum in territorio iudicis requirentis; per textum in l. 1. § *Item illud*. ff. *Ad S. C. Syllaniam*, ubi prohibetur, fieri inquisitionem (consequenter et remissionem), nisi constet alicuius esse occisum: et resol. 86, n. 1, allegans alios.

69. *V. Ut uterque iudex sit sub eodem principe, a quo requisitus puniri possit, nisi reum remittat.* — V. Ut remissio de necessitate sit facienda, requiritur, quod uterque iudex, videlicet tam requirens, quam requisitus, sint sub eodem dominio, seu principe, a quo requisitus puniri possit, nisi reum remittat. Alioquin enim remissio non foret de necessitate facienda, cum non esset princeps aliquis qui posset iudicem requisitum cogere ad remittendum. Covarruvias d. quæst. 11. *Praxi quæst.* n. 10, citans plures alios, et asserens hanc sententiam communi totius orbis christiani usu et praxi receptum esse; Farinacius cit. lib. I, tit. I, quæst. 7, n. 25, addens aliam rationem: quia videlicet unusquisque defendit suam jurisdictionem; Julius Clarus, d. § *fin. quæst.* 38, n. 21, hanc appellans communem sententiam, quam cum pluribus aliis sequitur Riccius cit. part. IV in *Praxi remiss. delinquent.*, quæst. 3, n. 11.

70. *Remissiones reorum de facto rarius præticantur vel non nisi sub litteris reversalibus;* et

cur? — Atque hic fit, quod licet antiquitas, quando omnes ditiones ac provinciæ fuerunt sub eodem principe, seu imperatore frequentes fuerint remissiones delinquentium juxta cit. Auth. *Ut nulli judicium*. § *Si vero quis comprehensorum*, collat 9; de facto tamen ob multiplicem principatum distinctionem, aut contrariam consuetudinem, eadem rarius practicentur. Et quanquam etiam hodie in Germania, et aliis locis, præsertim in delictis atrocioribus, facta prævia requisitione soleat plerumque precario, et jure vicinitatis ac benevolentiae, fieri remissio delinquentium ad locum delicti, propter exemplum ac terrorem aliorum: id tamen praticari consuevit sub antigrapho, seu litteris reversalibus (vulgo *auff einen Revers*, oder *Gegen-Bekandtnus*) ipsius magistratus, seu domini remissionem petentis, quod hujusmodi remissio non sit præjudicatura jurisdictioni remittentis. Gailus lib. I. *de Pace publica*, cap. xvi, n. 30 et 31, Engel, h. t. n. 28.

71. *Ut judex possit remissionem rei facere, debet (juxta aliquos) in ipsum jurisdictionem habere.* — Addunt nonnulli, ad hoc, ut judex requisitus possit reum remittere, ulterius requiri, quod in ipsum ratione domicilii originis, vel alio modo jurisdictionem obtineat: ut volunt Felinus in c. *Licet ratione delicti*. n. 8, h. t. Aloys. Riccius, cit. part. IV in *Praxi remiss. delinquent.* quæst. 10, n. 2, et 3; Farinacius, etsi dubitative, d. quæst. 7, n. 31; post Bosium tit. *de Foro competent.* n. 53, et quidam alii, quos pro hac sententia allegat Covarruvias, ubi supra, n. 7 et n. 10, §. *Nec enim melatet*. Probant hi suam sententiam ex cap. i, § I, *de Privileg.* in 6, ubi dicitur, quod ordinarii locorum non habeant potestatem remittendi exemptos ad locum commissi delicti; quia videlicet ob privilegium exemptionis eisdem competens, nullam in ipsos habent jurisdictionem. Idem ergo videtur dicendum de aliis judicibus: si enim, inquit, nullam in reum habent jurisdictionem, ergo nec habebunt potestatem ipsum capiendi, et consequenter non remittendi ad locum delicti.

72. *Opposita sententia probatur.* — Oppositum nihilominus tenet Abbas in cit. cap. ult. n. 16, h. t. post Calderinum, et Covarruvias cit. n. 7, et Julius Clarus d. § fin. quæst. 38, n. 22, asserens, se semper vidisse de facto contrarium servari. Ratio est, quia ad hoc, ut pro terrore aliorum reus in loco delicti legitimis suppliciis subiciatur, indis-

tinete jubetur in Auth. *Ut nulli judicium*. ff. *Si vero quis comprehensorum*, collat 9, ut judex, in cujus territorio delinquens persona degit, post susceptas publicas a judice delicti litteras reum comprehendat, eumque judici petenti remittat. Atqui allata ratio procedit generaliter (sicut et textus indistincte loquitur) sive judex ille, in cujus territorio existit, sit judex domicilii, aut originis, vel alias in reum possit exercere jurisdictionem, sive non. Sufficit igitur jure sic disponente, quod ille qui remissionem petit, habeat jurisdictionem procedendi contra reum delinquentem ratione delicti in suo territorio perpetrati: nam hoc ipso, quod ipse urgeat rei remissionem, acquirit et juris dispositione alter judex desuper requisitus potestatem reum illum capiendi, atque remittendi, ne crimina maneant impunita, simulque per inflictionem debitarum pœnarum tollatur in loco facti delicti scandalum cæterorum.

73. *Et resolvuntur rationes prioris sententiæ* — Nec obstant rationes oppositæ sententiæ. Non quidem cap. i, *de Privileg.* in 6. Quia vel loquitur in casu, quando non est petita a judice delicti remissio: vel, quod magis placet, procedit in exemptis etiam ratione loci; nam tales non possunt remitti per ordinarium loci, sed si petantur, erunt remittendi per proprium superiorem, ac judicem suum. Covarruvias cit. n. 7. Ad alteram instantiam patet ex dictis: quia ad remissionem faciendam sufficit, quod ille, qui eam petit, habeat jurisdictionem procedendi contra reum. Julius Clarus cit. n. 22, plura de remissione delinquentium apud auctores hactenus allegatos, ac præsertim apud Aloys. Riccium cit. part. II, resol. 71, usque ad 89, et resol. 139, usque ad 151, et part. IV in *Praxi remissionis delinquentium*, per totum.

74. *A quo judice possit puniri delictum in confinio duorum territoriorum commissum, et consummatum?* — Quæritur IV. A quo judice possit puniri delictum in confinio duorum territoriorum commissum? Resp. I. Quando delictum non solum inchoatur, sed etiam consummatur in confinio duorum territoriorum (ut si homo occidatur, ita quod prostratus tangat de utroque territorio) conveniunt doctores, posse utrumque judicem procedere contra delinquentem, quanquam tunc inter ipsosmet judices detur locus præventioni. Et merito: quia non est major ratio de uno, quam de alio, nisi intervenerit præventio.

75. *Aut in uno territorio inchoatum, in alte-*

ro consummatum? — Resp. II. Quod si delictum in uno territorio sit inchoatum, in altero autem finitum seu consummatum; ut si quis existens in territorio A emittat sagittam, et occidat hominem existentem in territorio B, probabile quidem est, quod solus ille sit competens judex, in cujus territorio consummatum est delictum, et non alter, ubi illud est inchoatum: sed probabilius videtur quod tunc judex utriusque territorii possit contra reum procedere, et si concurrant, detur locus præventioni.

76. *Homicidium, unde sic dictum.* — Prior pars est Bartoli in l. *Libellorum*, n. 7. ff. *de Accusation.* Felin c. *Licet ratione delicti*, n. 14, et Aretini ibid. n. 7, h. t., quorum sententiam approbat Fagnanus in cit. c. *Licet*. n. 3 eod. ac probabilem censet Pirhing h. t. n. 28. Ratio esse potest, quia in homicidio v. g. inspicitur locus, ubi quis percutitur; nam homicidium, tracta vocis interpretatione dicitur a cædendo, et a cæde, l. *Si ita vulneratus*, § 1. *Ad legem Aquiliam*: simulque regulariter ex solo conatu quis non punitur, sed ex effectu, seu actu percutiendi, unde mors sequitur, arg. *Hæc autem verba, de Pœnit.* dist. 1. juncta Glossa ibid. cum concordantiis. Atqui in casu posito percussio hominis, seu homicidium, contingit solummodo in illo territorio, ubi quis occiditur; si enim sagitta v. g. aberraret, vel lorica induto non noceret, ejus emissio nulli afferret mortem, neque (seclusa speciali lege, aut statuto, talem sagittæ emissionem sub certis pœnis prohibente) in foro externo puniretur; haud obstante, quod in foro poli, seu coram Deo talis jam sit reus homicidii.

77. *Ex duobus conjunctis potentius trahit ad se minus potens.* — Confirmatur, quia mandans homicidium, non in loco mandati, sed in territorio commissi per mandatarium homicidii, est puniendus, juxta Felinum loc. cit. n. 15 et doctores passim: idem ergo dicendum de emittente sagittam. Accedit quod ex duobus conjunctis, potentius trahat ad se minus potens l. *Et si non sunt*. § *Pervenimus*, ff. *de Auro et argent. legat.* et l. *Quidquid*. § fin. ff. *de Acquirend. rerum domin.* Atqui in proposito finis est potentior, cum det esse, seu consummationem actui, videlicet actuali occisioni; ergo.

78. *Unum delictum plures personas tangens, cuique attribuitur in solidum.* — Alteram partem absolute tenet Joan. Andreas. reg. *In obscuris*. n. 5. § *Solutio, de Reg. jur.* in 6;

Abbas cap. ult., n. 25, h. t. Julius Clarus, cit. § fin. quæst. 38, n. 11, asserens ita communiter servari; Farinac. tom. I, *Criminal.* lib. I, tit. I, quæst. 7, n. 46, allegans plures alios; et inquit quod hæc sit veritas. Ratio est, quia in tali casu committitur delictum, plura territoria tangens; ergo etiam jurisdictio quoad illud cognoscendum, ac puniendum cuilibet territorio in solidum attribuitur. Probatur consequentia: tum quia quodlibet eorum ex tali delicto læditur, seu injuriatur; nam etiam ille jam noxius est, qui mittit sagittas in mortem, cap. i, *de Præsumpt.*, sicque ne crimina maneant impunita, merito utrique judici tribuitur jurisdictio in solidum, tum quia in simili unum delictum, plures personas tangens, unicuique in solidum attribuitur; ut l. *Si ita vulneratus*. § 2, § fin. ff. *Ad legem Aquilianam*. et l. *Vulgaris*. § *Si duo*. ff. *de Furtis*, ubi si plures unum lignum furati fuerint, quod singuli tollere non poterant, omnes furti in solidum tenentur; idem ergo a pari dicendum in proposito.

79. *Solvuntur rationes sententiæ, volentis, quod tunc solus ille sit judex competens, in cujus territorio consummatum est delictum.* — Nec obstant rationes prioris sententiæ. Non prima; negatur enim minor, ob proxime dicta. Nec secunda: quia mandatum ejus et executio per alterum facta, non est unicus actus moraliter loquendo, sed duplex; simulque mandans, regulariter loquendo, non obligatur ad pœnam ex solo mandato, sed ex delicto propter mandatum secuto, quod alibi supponitur esse consummatum. Econtra emissio sagittæ, et actualis occisio hominis inde secuta, est unicus moraliter actus. Ad ultimum respondetur, dictum illud procedere in individuis; secus, in dividuis, seu ad invicem separabilibus; prout accidit in proposito, ac etiam contingit in causis mixti fori, respectu quarum tum judex ecclesiasticus, tum sæcularis, habet jurisdictionem in solidum, estque locus præventioni.

§ IV.

DE MODO ORDINARIO SORTIENDI FORUM RATIONE CONTRACTUS, ET REI SITE IN ALIENO TERRITORIO.

80. *Regula est, quod ratione contractus sortiatur quis forum.* — Quæritur I. An, et quando quis sortiatur forum ratione contractus, necne? Resp. I. Regula est, quod ratione contractus (quod nomen hic largissime sumi-